



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Constantini mors in ipsa Pentecostes celebritate circa meridiem. Cap.  
LXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII DE VITA

propterea festinare, nec migrationem ad Deum suum procrastinare. Deinde quæ videbantur extrema quasi voluntate sua disponebat, ac Romanos qui regiam ciuitatem incolabant annuis pensionibus honorificè donabat. Liberis verò suis regni hæreditatem tanquam patrimonium relinquebat. Cæteraq; omnia, quæ ei videbantur, expressè disertisq; verbis describebat.

*Constantini mors in ipsa Pentecostes celebritate circa meridiem.*

### CAP. LXIII.

**H**AEC sigillatim omnia gesta & consummata sunt maxima illa celebritate veneradæ & sacratę Pentecostes, quæ septem continuas hebdomadas omnibus honoribus decorata, ad extremum vnitatis numero consignata est, quo tempore sacrę literę testantur, & communis nostri Seruatoris in cælos ascensum, & sancti ad homines spiritus descensum accidisse: Huius in celebritatis extremo ferè die (quã si quis omnium celebritatum principem & maximam vocet, haud aberrauerit) omnia ista cõsequutus imperator, ipsa meridie ad Deum suum assumptus est, partem sui mortalem mortalibus cognatã relinquens humi: sed animi partem intelligentem & diuinam Deo coniungens suo. Hic Constantini extremus vitę dies fuit. Sed progrediamur longius.

*Legionum & ducum lamentationes.*

### CAP. LXV.

**S**atellites igitur & vniuersus stipatorum cœtus, dilaceratis vestibus, corporibusq; ad pauimenta proiectis, & collis ad solum capitibus, lugubres voces cum magno luctu & clamoribus ædebant: cum identidem dominũ, principem, imperatorem, & tamen non vt dominum & tyrannum, sed vt patrem pij liberi & germani inclamarent: Centuriones verò & manipulares seruatorem, custodem, benefici cum prædicarent: totus exercitus cum omni reuerentia tanquam ouium greges pastorem suũ desiderarent: Populus omnis per omnem urbem volitaret, occultum animi vulnus apertis vociferationibus & clamoribus contestans. Reliqui demisso vultu tanquam obstupefacti incederent: singuli eã sibi